HAASE

ANIMADVERSIONES AD
SENECAE LIBROS DE
REM. FORT. ET DE
NAT. QUAESTT

INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER HIEMEM A. MDCCCLIX.

A DIE XV. MENSIS OCTOBRIS

HABENDARUM.

INSUNT FR. HAASII, H. T. UNIV. RECTORIS ANIMADVERSIONES AD SENECAE LIBROS DE REM. FORT. ET DE NAT. QUAESTT.

TYPIS ACADEMICIS.

RECTOR ET SENATUS

COMMILITONIBUS HONESTISSIMIS S. P. D.

Tria potissimum sunt, quae in omni temporum, populorum, litterarum memoria illustranda agere et possint et debeant, qui in historico hoc studiorum genere versantur; nam aut ipsam rerum cognoscendarum materiam augent, aut materiae dudum congestae veram vim ignoratam adhuc vel male explicatam aperire student, aut denique quidquid in eiusmodi studiis facti operis erit, colligunt et componunt ita ut ipsa denique omnis historiae occulta lex planius intellegatur et ad praesentem vitam adhibeatur. Sunt autem tria haec officia adeo et ambitu immensa et difficultate impedita, et perfectis paulatim aut mutatis certe artis regulis varia ac diversa, ut quamdiu humanarum rerum cognitio inter homines promovetur, tamdiu nullum ex iis plane absolvi ac finiri queat. Nam et materia quottidie augetur non solum agenda praesente vita sed etiam indaganda praeterita, adeo ut saepe praeter spem nova multa emergant quae vel per se sola humanam intellegentiam provehant vel in suum locum reposita et cum aliis coniuncta novam plane rebus dudum cognitis atque insperatam lucem afferant; et crescens rerum usus atque aucta iudicandi maturitas non efficit, ut indagandi industria denique conquiescat et quasi ad agendarum rerum inopiam redacta necessario desinat, sed quidquid absolutum videtur, id ipsum affert novas quaerendi ac dubitandi causas, et si quando in aliqua re ad finem nos pervenisse opinabamur, in eo vel ipsi vel alii nova utilium studiorum initia deprehendimus; proinde saepe fit, ut si quid ex longo tempore historicorum diligentia certissime exploratum et planissime intellectum creditur, id ipsum maxime iteratis curis egere videatur.

Quae cum ita sint, commilitones, dum offerimus vobis amplissimam ex omni studiorum genere scholarum copiam, cupimus ut vos quoque intellegatis non sero vos ad hunc scientiae mercatum accedere nec quasi *κατόπιν ἑορτῆς ἥκειν* praerepta palmae facultate, sed ut perpetuo illo et aeterno studiorum omnium motu elati ipsi quoque credatis amplissimam superesse materiam, in qua se strenua industria et multiplex virtus exerceat pulcherrimamque veritatis cum labore quaesitae laudem consequatur. Nos vero quamquam et loci huius angustiis et negotiorum multitudine

adducti prooemiandi materiam obviam aliquam et exilem elegimus, tamen in hac quoque demonstrare nos exemplis aliquot posse speramus, etiam in actis rebus superesse quae agantur.

Medii aevi scriptores magnam saepe praebere utilitatem antiquarum litterarum studiis quamquam saepe probatum est, relicta sunt tamen apud eos multa et adhuc oblivione sepulta, quae mirum est tamdiu neglegi potuisse; talia ego nonnulla proferam, quae ad Senecam pertinent.

Ac primum de eius libri fatis dicam, qui est *de remediis fortuitorum*, quem librum quam infeliciter F. Osannus tractaverit satis mihi demonstravisse videor in mea Senecae editione vol. III. pag. XVI sqq. Sed quod tum dixi effici posse si iusto commentario singula verba singulasque sententias ad eorum Senecae librorum normam exigamus, de quorum origine non dubitatur, ut totum illum librum praeter praefationem genuinum esse evincamus, id si quis nunc efficere velit, parum opportunum videatur, quia emendationis recte et accurate instituendae nondum ea praesidia parata sunt, quorum ope liceat noviciorum librorum sordes abstergere et in vetustiorum exemplorum integriore fide aut acquiescere aut tutiora emendandi fundamenta ponere; qui enim adhuc libri mss. accuratius vel ab Osanno vel a me collati sunt, Hildeberti Cenomanensis et Vincentii Bellovacensis atque Walteri Burlei aetate inferiores sunt, nec dubium est quin multo vetustiores supersint, quibus dum caremus, in critico negotio operam ludas.

Interim illud certe pro explorato dico, Vincentii codicem nec pleniorem nec meliorem fere fuisse quam qui nunc noti sunt; quare praefationem quoque subditiciam non dubito quin in suo ille codice legerit, quamquam, ut par erat, nullum ex ea flosculum decerpsit. Walter vero Burlei in eo libro, quem de vita ac moribus philosophorum poetarumque veterum compilavit, ubi de Seneca agit, totum hunc de remediis fortuitorum librum in suum volumen transtulit, idque se facere testatur verbis his: „Quoniam autem universi (al. *diversi*) homines diversis calamitatibus sunt subiecti, placuit huic operi librum Senecae de remediis fortuitorum malorum annectere, ut remedium in angustiis habeant, qui hunc libellum inspexerint.“ Sed Walteri liber cum multum lectitaretur et saepe transscriberetur, pro cuiusque arbitrio varie mutatus est, id quod tribus eius exemplis, quibus ego forte usus sum, satis probatur; nam in codice Walteri ms. Vratisl. academico I. 9. 462, qui est sec. XV partim in membranis partim in charta parum eleganter perscriptus, totus Senecae liber ut debuit insertus legitur, isque et praefatione spuria instructus et eodem illo capitum indice ornatus, qui in cod. Dresdensi repertus Osanno gravissimorum praebuit errorum materiam. In altero Walteri codice sec. XV chartac. quem ipse possideo, capitum ille index recte positus est, liber quidem ipse omissus. Denique in ea Walteri editione, quam Norimbergae a. 1477 Ant. Coburger „fideliter“ se impressisse testatur, et verba Walteri quae supra posui omissa sunt et cum capitum indice totus Senecae liber, cuius loco subiecta sunt ea ipsa, quae Vincentius Bellov. ex variis Senecae libris excerpsit, idque eodem servato ordine, nisi quod cum alii nonnulli flosculi variis locis omissi sunt, tum ii omnes quos Vincentius ex libro de virtutibus et ex Senecae patris declamationum libris decerpserat; denique quas Walter post Senecam posuit vitas quindecim, eae omnes Coburgeri

exemplo desunt. Quamobrem quamquam apparet ad codd. adhuc collatos libri de rem. fort. accedere unum a Waltero transscriptum multis illum exemplis divulgatum, quae quidem eius operis plena et integra extant, utilitas tamen novi huius auxilii exigua est; Burleianum enim librum cum reliquis noviciis fere consentientem repperi; cuius rei illud quoque indicium est, quod totus liber in dialogi formam compositus colloquentes inter se habet Sensum ac Rationem, quorum nomina rubro in cod. nostro acad. interposita sunt. Insigni enim exemplo hoc est Senecae opusculum, quam parum religiose saepe veterum scriptorum libri medio aevo deformati sint, maxime ii, qui diligentissime lectitabantur. Nam primum probabiliter demonstrasse mihi videor, quem nunc habemus Senecae de rem. fort. librum tenues esse quasdam genuini libri reliquias excerptas ab homine parum considerato, qui inaequaliter admodum in eo negotio versatus quae Seneca de mortis metu ab initio scripserat, aliquanto pleniora retinuit, quae in medio posita erant, adeo contraxit, ut paene videatur ipse nimiam libelli brevitatem improbasse et perversa quadam poenitentia ductus ea rursus paulo ampliora servasse, quae in fine Seneca de uxore amissa scripserat. Sed integrum librum seculo quinto extitisse adhuc, quo fere tempore liber de Moribus compilatus est, satis demonstrant quae in hunc ex illo translata sunt, de quibus dixi in praef. ed. pag. XXI. quare credere licet aequaliter ab initio compositum librum et ea arte ornatum, quae nunc quoque manifesta est, haud iniuria dignum Tertulliano videri potuisse quem inter praestantissimos eiusdem generis scriptores commemoraret; id quod si ad eam quae nunc est libri exilitatem revoces, mirabile sane et nimis honorificum videri debet. Atque cum in angustum contraheretur liber, abiecta videtur simul praefatio Senecae ad Gallionem scripta, in cuius locum homo barbarus, quem barbaro nomine breviatorem dicere licet, sua quaedam verba substituit ad regem aliquem vel principem scripta, quem poetarum carmina et omnino antiquarum litterarum studia delectarent, auguratus simul, in quo uno non plane erravit, illustrem hunc librum fore, qui antea cum integer esset, parum cognitus fuisset. Artem vero Senecae, qua in toto libro componendo usus est, cum minus perciperent medii aevi homines docti, dialogi formam ita retinendam iudicaverunt, ut certos collocutores fingerent suisque nominibus indicarent; quare quod proximum erat, ex ipsa libri inscriptione nonnulli Senecae ipsi et Gallioni colloquentium partes tribuerunt, id quod factum esse in cod. Vossiano testatur Nauta ad Sen. de provid. pag. 27; alii Senecam cum Nerone tamquam magistrum cum discipulo colloqui maluerunt, quam rationem sequitur cod. Vratisl. acad. I. 9. 412. Plures vero subtiliore sapientia Sensum et Rationem colloquentes induxerunt, e quo genere fuerunt Walteri Burlei liber et is, quo Petrarcha usus est et alii; Hildebertus denique Cenomanensis Timorem et Securitatem vel Hominem et Securitatem posuit. Atque hunc in modum descriptus liber videtur certe inde a seculo XII. vulgatus esse, donec repertus est qui eum olim in breve contractum adiectis Additionibus rursus dilatandum crederet. Has ego Additiones oblivione sepultas ex uno cod. ms. Vratisl. acad. IV. 9. 66 et una vetere ed. Lips. suscitavi, faciendum id ratus propterea, quod Additionum auctor satis feliciter videbatur Senecae ingenium imitatus esse et quod certa fide probare volebam, Lucani versiculum illum Phars. VII, 819. *coelo tegitur qui non habet urnam*, qui versus cap. 5, 2. in editiones re-

centiores irrepserat, non esse ex Senecae libris mss. petitum sed arreptum ex Additionibus; est autem is versus sane notissimus, quem citaverunt Augustinus de civ. d. I, c. 12. et Isidor. origg. XVI, 26, 14. item Hugutio et Io. Ianuensis v. *urna*, Bartholomaeus Anglicus de proprietatib. rer. lib. XIX, c. 129. alii. Sed quod tum divinando scripsi praef. pag. XVII. Petrarcham mihi videri Additionum auctorem, id nunc adeo verum esse intellexi, ut paene pudeat coniecturae quamvis felicissimae; cum enim quod tum in magna festinatione facere non licuit, diligentius nuper coniecturam meam argumentis confirmare studerem Schneideri fere exemplum secutus collegae optimi, qui a. 1827 historiam Iulii Caesaris quae Iulii Celsi nomine ferebatur, Petrarchae vindicavit, deprehendi sane facile nonnulla in Additionibus, quae paene digito monstrarent Petrarcham, veluti illud, quod in Additione ad cap. XI. extr. prolatus ex Iuvenalis sat. XIV, 140. locus non auctoris nomine indicatur, sed *illud satiricum* appellatur, quam consuetudinem esse Petrarchae observaveram; vid. de contemptu mundi dial. II. pag. 341 (ed. Basil. a. 1581); ib. pag. 343. lin. 4 et lin. 24. Rer. memor. lib. III. pag. 459. mythol. de obed. ac fide ux. pag. 546. de reb. famil. VI, 1. pag. 655. contra Medic. I. pag. 1089. sicuti illa etiam frequentat: Poeticum illud, comicum, tragicum illud, Maronianum, Virgilianum, Terentianum illud et alia; Iuvenalem vero rarissime nominatim appellat, sed plerumque Satiricum dicere satis habet. Fatendum tamen erat nec multa talia suppetere et quod Schneider condidit lexicon Petrarchicum nostrae causae non admodum favere; in quo quae ille de latinitate Petrarchae propria collegit, ut sufficere potuerunt Caesaris historiam vindicanti, ita ad Additiones paene nulla parte pertinent. Quare sollicitus de rei eventu ac iam fere de coniectura mea desperans cum operosiorem quaestionem instituere in re tenui vix operae pretium videretur, tamen iterum prolixos Petrarchae libros de utriusque fortunae remediis curiosius pervolvens ipsas Additiones vidi sane Petrarchae esse totidem verbis in illo opere dudum editas; sunt enim loci ex libro II. sparsim decerpti, quos ego tum cum primum de Petrarcha cogitavi, ut *raros nantes in gurgite vasto* non expiscatus sum; nunc intellegimus ipsa Petrarchae aetate et sequente seculo nondum eam fuisse in propagandis veterum libris religionem, ut non liberum videretur adicere iis quidquid ad rem ipsam de qua ageretur aliquid utilitatis habere iudicaretur. Nec tamen ipsum Petrarcham credibile est de ampliore opere suo locos paucos selegisse, quos Senecae libro inferret; nam et de Senecae et de suo ipsius ingenio ita eum sensisse crediderim, ut neque in illo quasi magistri emendantis personam suscipere sustineret et sibi mallet proprii operis facultatem tribuere quam alieni exiguum quoddam additamentum; cuius rei ipse sibi testis est, quippe qui in praefatione haec scripserit: *Ceterum Seneca ipse fortunae partem illam, quae sibi difficilior visa erat, (et est haud dubie prima fronte rigidior) brevi admodum sermone perstrinxerat. Is libellus passim in manibus est vulgi, cui ego nil addere, nil detrahere meditor, quod et magno ingenio conflatum opus nostram dedignatur limam, et mihi meis rebus intento nec comere aliena nec carpere est animus.* Aequales vero Petrarchae et qui paulo post vixerunt quantopere eius ingenio delectati sint si non aliis multis documentis constaret, hoc quoque intellegi potest, quod Additiones dignae visae sunt, quibus Senecae liber augeretur.

Accedo ad Senecae *naturalium quaestionum* libros, qui cum saepissime sunt in verbis singulis vehementer depravati, tum etiam omissis totis sententiis librorumque partibus maiora quaedam damna passi sunt, de qua re breviter monui in editionis meae praefatione pag. III sq. Quod vitiorum genus quoniam tollere non licet, animadvertere certe par est ipsamque veteris cladis naturam indagare; neque enim recte emendationis opera procedet, si non qualia fere totius operis fata fuerint intellexerimus. Unum autem ex gravioribus illis vitiis in hoc tum dixi positum esse, quod qui nunc fertur liber quartus, e duobus libris conflatus est, ut si recte illi separentur, octo potius libri numerandi sint qui nunc septem habentur. Quae res quamquam satis per se manifesta est, tamen quod tam diu illorum librorum interpretes fugit, ne cui in posterum dubium videri possit, certis nunc testimoniis confirmabo; simul demonstrabo, perturbatum esse librorum ordinem et verum ordinem restituam. Atque de numero quidem octo librorum testes habemus Vincentium Bellov. spec. hist. lib. IX. c. 102 et c. 110 sq. et Walterum Burlei in libro de vita ac morib. philosophorum poetarumque veterum, ubi de Seneca agit; accedit codex eorum qui accuratius collati sunt longe praestantissimus Berolinensis, in quo Fickertus testatur libri IV praefationem cum cap. I et II, post libri VII finem legi apposita hac inscriptione: *Incipit liber VIII. de Nili incremento.* ac possit cuipiam probabilis hic ordo videri, quia sic et octo librorum numerus restituitur, et separantur qui duo libri falso in unum coniuncti erant, quorum qui est de Nilo, eum singularem librum fuisse ipse docet Seneca III, 1, 2. idemque liber si postremus fuit, facile intellegitur quomodo potuerit amissis ultimis foliis truncari. Quae omnia quamvis multum valere videantur ad commendandam illam codicis Berol. auctoritatem, tamen eam sequi non licet; ipse enim Seneca quamquam de librorum ordine nihil certi prodit, hoc unum tamen manifesto declarat eum librum, qui de Nili incremento inscribitur, continuum fuisse libro ei qui nunc tertius numeratur. Nam et lib. III, c. 1, 2 profitetur Nilum se interim seponere et velle se ei suum diem dare, id est proprium librum, et lib. IV, c. 1, 1. ait se de Nilo questionem *superiore libro* distulisse. Quare cum exploratum sit in hoc falsum esse codicem Berol. quod de Nilo librum a tertio seiungit, verendum est ne ille quoque error sit, quod eum octavum posuit. Sed ne festinantius iudicemus, tenuia quaedam in aliis codicibus indicia monent. Nam primum vetustissimus eorum, qui Fickerti opera diligenter excussi sunt, Bambergensem dico, neque librum primum adiecto numero inscriptum habet sed simpliciter librum de naturalibus quaestionibus, et qui nunc quintus est, eum quartum numerat; atque constantior in ea ratione codex Guelferbytanus, quoniam pariter totum illum bipartitum librum quartum tertio sine numero adiungit, omnino sex libros numerat, non septem, qua in re consentientem habet codicem Vratislaviensem sec. XV. qui est in Bibl. Bernhardino-Neapolitana, non ille totum opus continens sed excerpta ex eo et ex aliis libris multis cum aliorum tum Senecae. Denique illud quoque animadvertendum est, quod vetustissimae editiones quamquam vulgarem ordinem sequuntur, tamen quarti libri argumentum sic praescriptum habent: *in quo de nive grandine et pluvia agitur*, nulla mentione facta prioris partis quae est de Nili incremento. Nihil praeterea constat de aliis codd. mss. qui ante Fickertum collati sunt; nimirum si quid in ordine librorum vel capitum turbatum erat, id notare olim non solebant, id quod insigni

exemplo docui petito ex Frontin. strategg. lib. II, c. 9 extr. et c. 12, 2. in Museo philol. vol. III. a. 1845. pag. 312—319. Sed quamvis nihil speremus de vetustis libris Memmiano vel Bongarsiano vel aliis, quorum nunc aut nulla aut exilis memoria superest, sic quoque satis constat aliquid eo ipso loco turbatum esse, quo finis de Nilo libri et initium alterius, qui est de nive et grandine et pluvia, amissa sunt. Quod quale sit, planissime cognoscitur ex Vincentii Bellov. spec. hist. qui quos flosculos ex quaestt. nat. libris posuit, si quis examinet quo ordine posuerit, facile intelleget, et octo fuisse libros, et eorum volumen aliquando male habitum esse, ut et ab initio et in fine folia aliquot vel foliorum fasciculi perirent, reliquum autem volumen soluta in medio compage in duas partes dilaberetur, quarum quae priorem locum obtinere debuit, in posteriorem reiecta est. Quod ubi accidit, mirandum non est, quod librorum numeri mutati sunt in eaque re cum varie librarii errarent, aut septem libri facti sunt, ut in vulgari ordine, aut sex, ut in cod. Guelf., aut denique octo, ut in cod. Berol. cuius codicis ordinem qui primus instituit, is cum pariter atque reliqui librarii duas voluminis partes traiectas reperiret, neque eas transponendas intellegeret, tamen in hac una re verum ordinem restituit, quod in finem reiecit librum eum qui est de Nilo, praescripto ut videtur octavi libri numero commotus; idem vero cur non in reliquis quoque libris numerorum ordinem secutus sit, difficile est dicere; credibile tamen est, ab ipso quidem Seneca octo libros diversis temporibus scriptos et separatim ad Lucilium missos ab initio nullis omnino numeris signatos fuisse; deinde in eo codice, in quo primum librorum ordo turbatus est, octavum certe librum suo numero insignitum fuisse, reliquos aut caruisse numeris aut habuisse eos ita inconstanter et indiligenter adiectos, ut facile errare potuerit, qui duas disiecti voluminis partes iam male compositas haberet; is enim neque ex eius libri, qui nunc primus est, neque ex eius, qui olim primus fuit, numero errorem intellegere potuit; illi enim defuisse numerum nunc quoque testatur cod. Bamb., huic autem defuisse necesse est, quia eius libri maior pars tota cum praefatione et inscriptione perierat. Sed dubium esse non poterit, quin vetustiorem nec iam turbatum codicem secutus sit Vincentius qui quos excerpsit flosculos, hoc ordine posuit:

Ex libro primo: lib. IV, 13, 8. 3, 5. 13, 10.
Ex libro secundo: lib. V, 18, 4. 13.
Ex libro tertio: lib. VI, 1, 8. 3, 8. 32, 1 sq. ib. § 3 sq. § 4 sq. § 10. 11.
Ex libro quarto: lib. VII, 1, 1.
Ex libro quinto: lib. VII, 9, 3.
Ex libro sexto: lib. II, 59, 3. 7. 4.
Ex libro septimo: lib. III, praef. § 10. 11. c. 30 extr. c. 18, 4. 6.
Ex libro octavo: lib. IV, praef. § 1. 2. 3. 5.

Nihil admodum in his est, quo testimonium Vincentii infirmari videri possit; nam quod paucorum locorum sedes permutatae sunt, et leve est et ex more Vincentii, nec id pertinet ad totorum librorum ordinem; estque ille quoque error nullius ad rem totam momenti, quod libri quinti numerus ne deesset, alteri loco ex lib. VII. petito praefixus est; nam ex libro primo, cui praefixum eum numerum oportuit, nullos Vincentius locos selegit.

Accedit quod constanter eundem ordinem in Naturali quoque Speculo sequitur, in quo cum passim plurimos ex Senecae nat. quaestt. locos excerpserit, ego nunc eos indicabo, quibus libri numerum adiecit; usus autem sum editione Menteliana a. 1473. in qua non tam mirum est aliquot depravatos esse numeros quam non esse plures depravatos. Atque ex eo quidem libro, quem Vincentius haud dubie primum numeravit, (i. e. lib. IV. c. 3—13.) locos posuit in Spec. Nat. lib. V, c. 48 extr. c. 50. c. 52. et lib. XVI, c. 5 qui sunt apud Senecam lib. IV, c. 3. c. 4. c. 5. c. 8. ex his uni (lib. IV, c. 4.) in Spec. Nat. lib. V, c. 52. libri numerus adscriptus est isque falsus libri tertii. Praeterea protulit locos hos:

Spec. Nat.	lib. V, c. 26 pr.	ex Senecae	lib. II.	locum	qui	nunc	legitur	lib.	V, c. 1. ed. Fickerti.
,,	,, c. 27 extr.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	V, c. 2 et 3.
,,	VII, c. 68 med.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	V, c. 15.
,,	VI, c. 35 extr.	,,	lib. III.	,,	,,	,,	,,	,,	VI, c. 26, 1.
,,	VII, c. 26 pr.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	VI, c. 4, 1.
,,	,, c. 38 et 39	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	VI, c. 32, 1. 2. c. 1, 3. c. 29, 1. c. 1, 8—11. 13. c. 2. c. 32, 2—6. 10. c. 3, 1—3.
,,	XVI, c. 15	,,	lib. IV.*)	,,	,,	,,	,,	,,	VII, c. 1, 1—4.
,,	,, c. 58.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	VII, c. 1, 1—5.
,,	V, c. 71 med.	,,	lib. V.	,,	,,	,,	,,	,,	I, c. 1.
,,	XVI, c. 15.	,,	,,**)	,,	,,	,,	,,	,,	I, c. 12.
,,	V, c. 1.	,,	lib. VI.	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 13, 3. c. 14.
,,	,, c. 11 extr.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 6.
,,	,, c. 43 pr.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 30 extr.
,,	,, c. 59.	,,	,,***)	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 55, 3. 56, 1. 57, 2 sq. 58, 1—3. 26, 6.
,,	,, c. 61.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 40, 1—41, 1.
,,	VII. c. 3 pr.	,,	,,	,,	,,	,,	,,	,,	II, c. 5, 1.

*) In ed. male legitur LX, pro IV, quamquam alibi rectius scribi solet IIII.

**) In ed. est XV pro V.

***) In ed. est numerus V pro VI.

Spec. Nat.	lib. VII, c. 70 pr.	ex Senecae	lib. VI.	locum	qui	nunc	legitur	lib.	II, c. 22, 24.
„	III, c. 3 med.	„	lib. VII.	„	„	„	„	„	III, c. 14.
„	V, c. 6 extr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 13, 1.
„	„ c. 26 med.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 10, 2.
„	„ c. 45 extr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 7, 1.
„	VI, c. 8	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 26. 28.
„	„ c. 44 extr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 25, 4.
„	„ c. 53 pr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 1, 1-3, 1.
„	„ c. 54 pr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 25, 4-8.
„	„ c. 56 pr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 20, 1.
„	VII, c. 68 pr.	„	„	„	„	„	„	„	III, c. 15, 2. 16, 2.
„	VI, c. 34.	„	lib. VIII.	„	„	„	„	„	IV, c. 2 extr. et c. 1. init.

Quae cum ita sint, dubitari non potest quin et certum sit et verum Vincentii de librorum ordine testimonium; simul intellegitur non eiusdem temporis duplex illud damnum esse, quod et ordo librorum in Nat. Quaestt. perturbatus est et primus postremusque libri alter initio, alter fine truncati; sed utrumque vitium cum iam sec. XI. in cod. Bamberg. coniunctum esset, necesse est unus certe codex ad Vincentii aetatem propagatus sit, qui servato vero librorum ordine pariter tamen mutilatus esset; neque enim ullum indicium est de amissis illis partibus in Vincentii codice quicquam reliqui fuisse. Ac ne illud quidem sperari debet ad verborum singulorum emendationem eximium aliquod et praeter ceteros libros egregium in Vincentii locis praesidium paratum esse; qui quamquam praebet sane aliquotiens quae unice vera sunt aut veris proxima, in plerisque tamen rebus aut cum nostris libris fere convenit aut convenire videri debet, quotiens sensu non fere mutato verba pro suo arbitratu mutavit, id quod eum saepissime fecisse manifestum est. Exempli causa pono locos lib. IV, c. 2, § 30. et § 1. quos Vincentius octavi, ut par erat, libri numero insignitos sic scripsit in Spec. Nat. lib. VI, c. 34: *Seneca libro VIII: Nilus dulcis est: nec ulli flumini dulcior gustus: contra naturam aliorum fluminum . ante ortum caniculae augetur mediis aestibus ultra aequinoctium . hunc enim nobilissimum amnem extulit natura et ita disposuit, ut eo tempore Aegyptum inundaret: quo maxime terra feruoribus usta altius undas traheret: et tanta mensura, quantum sufficere posset annuae siccitati. Nam in ea parte qua in Aethiopiam vergit: aut nulli sunt imbres: aut rari . unam itaque Aegyptus in hoc spem suam habet: quoniam**) *aut sterilis est amnis: aut non . prout ille magnus aut parcior* (*ptior*) *influxerit.* E primis verbis, quae sunt apud nos postrema cap. 2. satis apparere arbitror, eandem fuisse in Vincentii codice lacunam, quam habent reliqui omnes; nam verba illa *contra naturam aliorum fluminum* ne quis suspicetur e pleniore codice fluxisse, quippe quae apud Senecam nunc non legantur, quoniam haud dubie

---

*) Praestat fortasse scribere *quantum*; in ed. enim est *qm̄*.

cum sequentibus, non cum antecedentibus coniungenda sunt, manifestum est Vincentium ipsum de suo adiecisse, ut sententiam Senecae clarius aperiret. In reliquis duo sunt rectissime scripta, quorum ego alterum cum dudum coniectura assecutus essem, tamen in ed. mea recipere ausus non sum; nunc vero Vincentii auctoritate confirmatus si iterum Seneca edendus sit, sine dubitatione scribam: *in ea parte qua in Aethiopiam vergit.* non *quae.* hanc enim iam tum observaveram Senecae dicendi consuetudinem esse et ubi proprie loquitur de locorum vel corporum partibus et ubi translate iudicium aliquod et aestimationem non ad universam rem pertinere indicat sed ad eius naturae aliquam partem vel accidens. Exempla eius usus haec notata habeo: Nat. Quaestt. I, c. 14, 6. *Ventum autem significat eiusmodi lapsus et quidem ab ea parte qua erumpit.* ib. c. 5, 2. *Arcus longe amplior est longeque ea parte qua fulget rubicundior quam sol.* ib. prol. § 2. *rerum naturae gratias ago, cum illam non ab hac parte video qua publica est.* quo loco item vulgo scribebatur *quae*, quod ego codicem Berol. secutus emendavi. ib. IV, praef. § 19. *erimus una qua parte optimi sumus.* Dial. II, c. 6, 3. *unus idemque inter diversa sit nec quicquam suum nisi se putet esse, id quoque ea parte, qua melior est.* Dial. III (de ira I.) c. 6, 5. *quid enim nocet alienis uti ex parte qua nostra sunt.* Dial. XI, c. 13, 1. *Abstine ab hoc manus tuas, fortuna, nec in isto potentiam tuam nisi ea parte, qua prodes, ostenderis.* epist. 45, 9. *qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est.* epist. 121, 14. *ea enim parte sibi carus est homo, qua homo est.* Similiter etiam omisso *partis* nomine sola *qua* voce Seneca utitur, n qua item haud raro librarii erraverunt. Vid. Nat. Quaestt. VI, 30, 2. *latera magnarum turrium qua solida sunt scindit*, ubi ante Fickertum male *quae* scribebatur, in cod. Bamb. vero est *quam.* Dial. VI, c. 5, 4. *fortunam tuam qua deterior est adspicis.* ubi in libris est *quae, quo, quare.* epist. 90, 31. *multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes. — cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens.* ib. § 32. *Ista sapiens licet invenerit, non qua sapiens erat invenit.* hic quoque in codd. et edd. aliquot est *quia*, et in vetusto cod. Bamb. *quam homines sunt*, sed *m* littera notata; quare epist. 66, 34. (32 ed. F.) *tamquam viri boni omnes pares sunt qua boni sunt*, quamquam in libris mss. est *quia*, tamen mihi videor recte restituisse, quod Muretus et qui eum secuti sunt scripserunt *qua*, praesertim cum in praestantissimo cod. Paris. p. sit *quam*, quod adnotare Fickertus omisit.

Alterum quod dixi in Vincentii verbis recte scriptum esse, ad priorem sententiam pertinet, quae sic legitur in ed. Fickerti: *Hunc nobilissimum amnium natura extulit ante humani generis oculos et ita disposuit, ut eo tempore inundaret Aegyptum quo maxime usta feruoribus terra undas altius traheret tantum usura quantum siccitati annuae sufficere possit.* In his recte scripsisse Fickertum *undas*, cum priores *undam* vulgavissent, comprobatur Vincentii testimonio; sed eodem auctore nunc non *amnium* sed *amnem* scribendum esse manifestum est. Illud vero plane praeclarum videtur, quod idem habet: *et tanta mensura;* nam quod Fickertus e codd. Berol. Guelf. et Gruterianis edidit *tantum usura*, abhorret ab usu Senecae, quam ob causam ego vulgarem scripturam restitui *tantum hausura*, quae nulla codicum auctoritate commendatur, sed ex Matthaei Fortunati coniectura fluxit, nisi quod in eiusdem Fortunati codice fertur scriptum fuisse *tantum ausura.* Sed Vincentii illud *et tanta*

mensura ut ad sententiam verissimum est, ita demonstrat simul, quomodo *m* littera male ad priorem vocem traducta codicum illae scripturae oriri potuerint. Mensura autem est altitudinis, in quam terra Nili undas combibit; eandem mensuram in pluviis Seneca definit lib. III, c. 7, 1. *Ego tibi vinearum diligens fossor adfirmo nullam pluviam esse tam magnam, quae terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat.* atque est in hoc quoque loco memorabile Vincentii testimonium, qui eum protulit in Spec. Nat. lib. V, c. 45 extr. scribens *in altum*, non *in altitudinem*, et voces *tam magnam* retinens, quas ego quod desunt in cod. Bamb. pro glossemate habendas esse suspicatus sum. Sed longum est de locis singulis quaerere et de auctoritate Vincentii certum iudicium facere, quod mihi nunc omnino fieri non posse videtur nisi adhibitis aliis quibusdam auxiliis, quibus Fickertus caruit; inter quae non neglegendus est cod. Leidensis, de quo nuper dicere coepit H. C. Michaelis vir doctissimus in Philol. vol. VIII. p. 445—460.

Volebam praeterea huic loco subiungere alius generis quaestionem, quae est de fontibus quibus in componendo de Nilo libro usus est Seneca; nam de hac materia, de qua singularis extat Isaacii Vossii liber, quamquam veterum locos diligenter collegerunt Koeler et Ruhkopfius ad Sen. qu. nat. et Ideler Meteorol. vett. Gr. et Rom. VI, 17. p. 104, not. 3. et ad Aristot. Meteorol. vol. II. p. 245. tamen de quo ante omnia quaeri debuit, Aristotelis qui fertur de Nilo liber, non ille graece servatus sed medio aevo ab ignoto interprete latine translatus, neque legi nunc commode potest, quod simul et rarissimus est et vehementer depravatus, neque exploratum iam est quo iure quidam viri docti eum nuper pro genuino habere coeperint; et qui praeterea extat eiusdem argumenti libellus Athenaei codicibus assutus, et Diodori locus amplissimus I, c. 37—41 a Theophylacto Simocatta transscriptus historiar. lib. VII, c. 17. p. 302—310 ed. Bonn. item Io. Lydi locus, qui ipsum etiam hunc Senecae librum ante oculos habuit et alia multa nondum sunt diligenter inter se collata et composita; sed quoniam praeter alia, quibus adhuc aegre careo, Aristotelicum illum librum cum diu et multis locis frustra quaesivissem, his demum diebus nanctus sum, nec tamen ita accurate descriptum ut tuto ex meo hoc exemplo repeti possit, tota res in aliud tempus differenda fuit; est enim latina illa interpretatio infeliciter admodum confecta; eadem deinde a librariis vitiata; ex codd. autem mss. quos nullos novi, non videtur emendari posse; typis ter descripta est, bis quidem nisi fallor fideliter cum omnibus libri ms. vitiis, semel ex ingenio editoris ut videtur non admodum religiose correcta, adeo ut in eo libro interpres interprete, corrector correctore egeat; quare huic quaestioni aliud tempus commodius tribuendum est. Valete.

Scripsimus in alma academia Viadrina mense Iulio a. MDCCCLVIIII.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Systema antiquitatum christianarum et ecclesiasticarum* ratione habita libri Vratisl. tom II. a se foras emissi: *die christlich kirchliche Alterthumswissenschaft*, proponet d. Merc. et Sat. h. xii. II. *Exercitationes et disputationes, quae ad Novum Testamentum pertinent, exegeticas et criticas* in seminario reg. theologico reget d. Ven. h. xii. Privatim III. *Scientiam vitae christianae* ratione habita libri a se Vratisl. editi: *System des christlichen Lebens, oder das christliche Leben nach seiner Bejahung, Verneinung und Wiederherstellung, wissenschaftlich dargestellt*, dieb. Lun. Mart. Iov. h. xii.

HENRICUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Si per valetudinem licuerit lectiones exegeticas in Vet. et Nov. Testamentum per hiemem habendas suo tempore indicabit.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* in seminario regio theol. moderabitur d. Sat. h. ix. Privatim II. *Theologiam dogmaticam* exponet quotidie exc. d. Merc. h. viii.

CAROLUS SEMISCH, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes* seminarii theologici *in dogmatum historia versantes* moderari perget d. Mart. h. iii. Privatim II. *Historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit quotidie h. viii. et d. Sat. h. ix. III. *Historiam dogmatum* tradet quinquies per hebd. h. ix. et d. Sat. h. x. IV. *Vitam Jesu Christi* tractabit bis per hebd. h. def.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes homileticas et exegeticas* moderari perget d. Merc. h. viii. et d. Sat. h. xii. Privatim II. *Theologiae practicae alteram partem seu doctrinam de ministerio ecclesiae* (*Homileticen, Catecheticen, Theologiam pastor.*) tradet quotidie exc. d. Merc. h. xi. III. *Evangelium Ioannis eiusdemque epistolas* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. E. Privatim I. *Iobum* interpretabitur quinquies per hebd. h. x. II. *Introductionem in libros Vet. Test.* tradet sexies per hebd. h. xi.

EDUARDUS GUSTAVUS MEUSS, Dr. P. P. E. Publice I. *Exercitationes homileticas* in seminario regio theol. practico moderari perget d. Merc. h. xi. II. *Historiam passionis et resurrectionis domini nostri Iesu Christi secundum quatuor evangelia* illustrabit d. Lun. et Iov. h. iii. Privatim III. *Evangelium Matthaei* interpretabitur quinquies per hebd. h. ix. Privatissime IV. *Locos dogmaticos praecipuos* examinando repetet bis per hebd. h. def.

FRIDERICUS GUILELMUS SCHULTZ, Dr. Phil. Theol. Lic. P. P. E. des. Publice I. *Legem Vet. Testamenti moralem et ceremonialem* exponet d. Merc. et Sat. h. xi. Privatim II. *Iesaiae vaticinia* interpretabitur quinquies per hebd. h. x. III. *Epistolam ad Romanos datam* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xi.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Dr. Phil. Theol. Lic. P. P. E. Publice I. *Doctrinam Joannis apostoli* exponet d. Sat. h. xii. Privatim II. *Encyclopaediam theologicam* docebit dieb. Lun. Merc. Ven. h. xi. III. *Epistolas Pauli apostoli ad Galatas, Colossenses, Ephesios et Philippenses datas* interpretabitur quinis dieb. h. xii.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

CAROLUS FRIDERICUS STERN, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I *Doctrinam sacram Vet. Testamenti* explanabit dieb. Lun. Merc. Ven. h. vii. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitia circa Vetus Testamentum exegetica* moderabitur d. Sat. h. x. et xi. Privatim III. *Iobi librum* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. Publice I. *Doctrinam de magisterio in ecclesia catholica infallibili* exponet d. Merc. et Sat. h. iii. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes et disputationes dogmaticas cum interpretatione capitum ex S. S. Patribus selectorum coniunctas* moderabitur d. Mart. h. iii. et iv. Privatim III. *Introductionis in universam theologiam partem primam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. h. xii. IV. *Doctrinam catholicam christianam de redemptione et gratia* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. xii.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice I. *De theologia pastorali* disputabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix. II. *Repetitiones de theologia pastorali* instituet d. Iov. h. iv. Privatim III. *De arte catechetica* disseret dieb. Lun. h. iv. dieb. Merc. et Sat. h. ix.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. Publice I. *De vita Salvatoris* disputabit d. Ven. et Sat. h. x. II. In seminario regio theol. cathol. sodalium *exercitationes in N. T.* moderabitur d. Iov. h. v. Privatim III. *Introductionem generalem et specialem in Nov. Test.* dabit d. Lun. Mart. Merc. h. v. IV. *Evangelia sacra S. S. Matthaei, Marci, Lucae* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. x.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. Publice I. *S. S. concilii Tridentini capita dogmatica* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Merc. h. xi. Privatim II. *Catholicae theologiae moralis partem specialem* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. xi.

IOSEPHUS HUBERTUS REINKENS, Dr. P. P. O. Publice I. *De re diplomatica* disseret dieb. Merc. et Sat. h. viii. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderabitur d. Lun. h. iv. et v. Privatim III. *Historiae ecclesiasticae partem alteram* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. ix. IV. *De vita, scriptis, doctrinaque Patrum et scriptorum ecclesiasticorum* disputabit dieb. Iov. Ven. Sat. h. v.

IOANNES ANTONIUS SOFFNER, Theol. Lic. Privatim *Doctrinam christianam de Deo eiusque attributis* exponet dieb. Mart. et Iov. h. vii. d. Sat. h. xii.

PAULUS FRANCISCUS SCHOLZ, Theol. Lic. Gratis I. *Iesaiae prophetae partem alteram* interpretabitur dieb. Merc. et Ven. h. iv. Privatim II. *Encyclopaediam theologiae* docebit dieb. Iov. Ven. Sat. h. xii.

ORDO IURECONSULTORUM.

LUDOVICUS GITZLER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Ius matrimoniorum secundum iuris canonici praecepta* docebit d. Ven. h. ii. II. *Processum, quem vocant consistorialem* tradet d. Sat. h. ii. Privatim III. *Pandectas iuris civilis excepto iure hereditario* docebit quotidie h. viii. et ix. IV. *Ius canonicum cum iure ecclesiastico Catholicorum et Evangelicorum* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. ii. V. *Ius civile Borussicum* tradet quotidie h. xi.

PHILIPPUS EDUARDUS HUSCHKE, Dr. P. P. O. Publice I. *Ordinem iudiciorum privatorum, quo usi sunt Romani*, exponet dieb. Lun. Merc. Ven. h. xii. Privatim II. *Historiam et institutiones iuris civilis* tradet quotidie h. viii. et ix.

IULIUS FRIDERICUS HENRICUS ABEGG, Dr. P. P. O. Publice I. *De concursu creditorum secundum praecepta iuris communis et Borussici* disseret d. Ven. et Sat. h. x. II. *Ius criminale secundum codicem poenalem Borussicum et processum civilem* examinando repetet d. Iov. h. xi. Privatim III. *Ordinem iudiciorum publicorum iure communi et Borussico receptum secundum libri sui: „Lehrbuch des Criminalprocesses“* inscripti ed. alt. et adhibito libro suo: *Betrachtungen über die Verordnung, das öffentlich mündliche Verfahren mit Geschwornen in Untersuchungssachen in Preussen* exponet quaternis dieb. h. x. IV. *Ius naturae, quod vocant, sive philosophiam iuris praemissa huius disciplinae historia* tradet quotidie excepto d. Sat. h. iii.

HERMANNUS IOANNES FRIDERICUS SCHULZE, Dr. P. P. O. Publice I. *Principia iuris publici universalis* explicabit bis per hebd. h. XII. Privatim II. *Ius publicum Germanicum* docebit quinquies per hebd. h. IX. III. *Ius gentium* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. X.

IOANNES THEODORUS SCHIRMER, Dr. P. P. E. Publice I. *Digestorum titulum de aedilicio edicto* (21. 1.) interpretabitur d. Lun. et Iov. h. IV. Privatim II. *Ius hereditarium* exponet quotidie excepto d. Sat. h. XI. III. *Encyclopaediam et methodologiam iuris universi* tradet quinquies per hebd. h. X.

GEORGIUS FRIDERICUS FELIX EBERTY, Dr. Privatim *Ius naturae sive philosophiam iuris* quinquies per hebd. explicabit h. XI.

PETRUS IOSEPUS MARX, Dr. Gratis I. *Gaii institutionum commentarium quartum* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. III. Privatim II. *Ius canonicum cum iure ecclesiastico Catholicorum et Evangelicorum coniunctum* tradet quinquies per hebd. h. IV.

FRIDERICUS RIVE, Dr. Gratis I. *Historiam iuris quo utitur familia apud Germanos* tradet dieb. Merc. et Sat. h. V. Privatim II. *Ius rei metallicae* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

ORDO MEDICORUM.

TRAUGOTTUS GUILELMUS GUSTAVUS BENEDICT, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Examinatorium et repetitorium circa singula chirurgiae capita* continuabit quaternis dieb. h. V. Privatim II. *Chirurgiam specialem et doctrinam de operationibus chirurgicis* exponet senis dieb. h. def. III. *Ophthalmiatricen subiunctis demonstrationibus huc pertinentibus* docebit quaternis dieb. h. def.

IULIUS GUILELMUS BETSCHLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Operationes obstetricias* exponet bis per hebd. h. def. Privatim II. *Artem obstetriciam* docebit quotidie h. VII. III. *Clinicum gynaecologicum* moderabitur quotidie h. VIII.

IOANNES CAROLUS LEOPOLDUS BARKOW, Dr. P. P. O. Publice I. *Methodum sectiones cadaverum forenses rite instituendi* docebit d. Sat. h. VIII. Privatim II. *Anatomen corporis humani universam* tradet sexies h. XI. III. *Exercitationes anatomico-practicas* moderabitur senis dieb. h. IX. X. II. III.

ALBERTUS THEODORUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Publice I. *De luxationibus* disseret d. Sat. h. III. Privatim II. *Chirurgiam et doctrinam de operationibus, de fasciis et instrumentis chirurgicis* docebit quinquies per hebd. h. III. III. *Clinicen et policlinicen chirurgico-ophthalmiatricam* moderabitur sexies per hebd. h. IX.

RUDOLPHUS PETRUS HENRICUS HEIDENHAIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Colloquia de rebus anatomicis et physiologicis* instituet semel per hebd. horis binis. Privatim II. *Physiologiae specialis partem alteram (vegetativam)* exponet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII. III. *Anatomiam microscopicam* docebit *coniunctam cum cursu microscopico* dieb. Merc. et Sat. h. XI. et XII. Privatissime IV. *Exercitationes experimentales et microscopicas in instituto physiologico* moderabitur quotidie horis mat. et vespert.

HUGO ERNESTUS HENRICUS RUEHLE, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Artem formulas medicas rite concinnandi* docebit d. Sat. h. IV. Privatim II. *Universam materiam medicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. V. III. *De auscultatione et percussione* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

GUILELMUS HENRICUS CAROLUS GROSSER, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Selecta capita anatomiae chirurgicae* exponet semel per hebd. h. I. Privatim II. *Osteologiam* et *syndesmologiam* tradet d. Lun. et Merc. h. I.

IOANNES IOSEPHUS SEIDEL, Dr. Gratis I. *Selecta capita materiae medicae (acida et alcaloidea)* pertractabit d. Lun. et Merc. h. II. Privatim II. *De fontibus Germaniae soteriis* disseret dieb. Lun. Mart. Ven. Sat. h. III. III. *Materiam medicam* exponet sexies per hebd. h. def.

CAROLUS GUILELMUS KLOSE, Dr. Gratis I. *De morbis ossium* disseret d. Sat. h. IV. Privatim II. *De medicina forensi* disseret dieb. Lun. Merc. Ven. h. IV.

IOANNES AUGUSTUS BURCHARD, Dr. Privatissime et gratis I. *Examinatorium de arte obstetricia cum exercitationibus in phantomate instituendis* habebit d. Merc. et Sat. h. V. Gratis II. *De exploratione obstetricia* disseret d. Merc. h. IV. Privatim III. *De morbis mulierum* disseret quater per hebd. h. def.

HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Psychiatricen* docebit d. Lun. et Ven. h. IV. Privatissime II. *Institutiones ad psychologiam forensem practicas* moderabitur d. Sat. h. III. et IV.

THEOBALDUS BASILIUS PAULUS REYMANN, Dr. Gratis I. *De morbis syphiliticis* disseret d. Merc. et Sat. h. III. Privatim II. *Pathologiam et therapiam generalem* docebit quater per hebd. h. III.

ARMINIUS RUDOLPHUS AUBERT, Dr. Gratis *Organi visus anatomen et physiologiam* docebit d. Mart. et Ven. h. III.

IULIUS ARMINIUS PAUL, Dr. Gratis I. *De morbis cutis* disseret d. Sat. h. V. Privatim II. *Medicinam forensem* explicabit dieb. Mart. Iov. Sat. h. IV. Privatissime III. *Repetitorium chirurgicum* moderabitur ter per hebd. h. def.

BERNHARDUS COHN, Dr. Gratis I. *Elementa diagnoseos morborum internorum fundamentalia* tradet d. Merc. h. IV. Privatim II. *Diagnosin morborum internorum* docebit dieb. Lun. Mart. Ven. h. V. III. *Pathologiam generalem* docebit d. Lun. et Iov. h. V.

RICHARDUS FOERSTER, Dr. Gratis I. *De scrutationibus physicis, quae in ophthalmiatrice adhibentur*, disseret semel per hebd. h. def. Privatim II. *Ophthalmiatricen* docebit ter per hebd. h. def.

GEORGIUS LEWALD, Dr. Gratis I. *De balneotherapia* disseret bis per hebd. h. def. II. *Morbos infantum* tractabit bis per hebd. h. def.

RAPHAEL FINCKENSTEIN, Dr. Gratis I. *De morbis militum* disseret d. Merc. h. def. II. *Luis venereae et leprae historiam* enarrabit d. Sat. h. def. Privatim III. *Historiam medicinae* enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. def.

FRIDERICUS GUENSBURG, Dr. Gratis I. *De venenis et antidotis* disseret d. Merc. h. IV. II. *Exercitationes pathologicas practicas* moderabitur d. Sat. h. IV. Privatim III. *Anatomiam pathologicam generalem demonstrationibus illustratam* docebit ter per hebd. h. def.

CAROLUS IMMANUEL KLOPSCH, Dr. Gratis I. *Historiam morborum epidemicorum medii aevi* docebit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Historiam artis medicae* exponet quater per hebd. h. IV. III. *Encyclopaediam et methodologiam studii medici* explicabit dieb. Mart. Merc. Ven. h. III.

ORDO PHILOSOPHORUM.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *De plantis cryptogamicis demonstrationibus microscopicis adhibitis* disseret d. Merc. et Sat. h. XII. Privatim II. *Anatomen et physiologiam plantarum demonstrationibus microscopicis illustratam* exhibebit d. Merc. h. XI. d. Merc. et Sat. h. IV. III. *De flora phanerogamica Germaniae* disseret d. Merc. et Sat. h. III.

GEORGIUS HENRICUS BERNSTEIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Grammaticam Syriacam* docebit d. Lun. et Iov. h. XII. II. *Hamâsae carmina* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. XII.

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes dialecticas de rebus ad philosophiam pertinentibus instituendas* moderabitur d. Iov. h. IV. II. *Kantii philosophiam* enarrabit d. Merc. h. IV. Privatim III. *Psychologiam* explicabit dieb. Merc. Iov. Ven. h. III.

CAROLUS IACOBUS LOEWIG, Dr. P. P. O. Publice I. *Chemiam analyticam quantitativam* docebit bis per hebd. h. X. Privatim II. *Chemiam, quam vocant anorganicam, experimentis illustratam* docebit senis dieb. h. VIII. Privatissime III. *In laboratorio chemico operam daturis* aderit quinquies per hebd. ab h. IX. usque ad h. V.

CHRISTOPHILUS IULIUS BRANISS, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes dialecticas* moderabitur d. Iov. h. v. et vi. Privatim II. *Psychologiam et logicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. iv. III. *Historiam philosophiae graecae* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. v.

EDUARDUS GRUBE, Dr. P. P. O. Publice I. *Alteram zoologiae partem* (*Mammalium historiam naturalem*) exponet d. Ven. h. iv. Privatim II. *Conchyliologiam* tradet d. Lun. et Iov. h. x. Privatissime III. *Exercitationes in animalibus cognoscendis et distinguendis* moderabitur d. Mart. h. ii. et iii.

ADOLPHUS FRIDERICUS STENZLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Sadii Gulistanum* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. iv. II. *Institutiones linguae Sanscritae* continuabit d. Lun. et Iov. h. iv. Privatim III. *Grammaticam comparatam linguarum Indogermanicarum* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. iii.

HENRICUS FRIDERICUS HAASE, Dr. P. P. O. Publice I. *Seminarii regii philologici exercitationes reget* d. Merc. h. ix. d. Sat. h. viii. et ix. Privatim II. *Encyclopaediam philologicam* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. viii. III. *Praefatus de Sophoclis vita et ingenio Oedipum Regem* explanabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

IOANNES LUDOVICUS TELLKAMPF, Dr. P. P. O. Publice I. *Disputationes de quaestionibus politicis* instituet d. Merc. h. vi. et vii. Privatim II. *Rerum publicarum administrationem* (*Staatswirthschaft*) *et doctrinam de reditibus et sumptibus publicis* (*Finanzwissenschaft*) docebit quotidie h. xi. III. *Statisticen, quam vocant, praecipuarum civitatum* tradet quotidie h. xii.

MAURITIUS LUDOVICUS FRANKENHEIM, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes physicas* moderabitur d. Sat. h. xi. et xii. Publice II. *De magnetismo et electro-magnetismo* disseret bis per hebd. h. xii. Privatim III. *Physicen universam* docebit et *experimentis* illustrabit quotidie h. v.

FERDINANDUS IOACHIMSTHAL, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes mathematicas* moderabitur bis per hebd. Publice II. *De nonnullis problematis mechanicis* disseret semel per hebd. Privatim III. *Mechanicen ad theoriam praecipue machinarum applicatam* docebit dieb. Lun. Merc. Sat. h. x. IV. *Theoriam generalem superficierum et linearum duplicis curvaturae* explicabit dieb. Mart. Iov. Ven. h. x.

RICHARDUS ROEPELL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii historici* moderari perget horis adhuc def. Privatim II. *Historiam aevi recentissimi inde ab anno* 1815, docebit quinquies per hebd. h. v.

FERDINANDUS ROEMER, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes mineralogicas* moderabitur d. Merc. h. xi. et xii. Publice II. *Historiam naturalem fossilium metallicorum* exponet d. Sat. h. ix. et x. Privatim III. *Geognosiam* docebit quinquies per hebd. h. ix.

GUILELMUS IUNKMANN, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Disputationes de historia medii aevi* moderabitur semel per hebd. Publice II. *Expeditiones a*

crucesignatis factas enarrabit bis per hebd. h. VIII. Privatim III. *Historiam orbis antiqui usque ad Alexandrum Magnum* tradet quater per hebd. h. VIII.

IOANNES GODOFREDUS GALLE, Dr. P. P. O. Publice I. *Theoriam serierum periodicarum* exponet d. Sat. h. IX. Privatim II. *Astronomiae sphaericae partem priorem* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. cui accedent *exercitia astrognostica* h. vesp.

AUGUSTUS ROSSBACH, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Seminarii regii philologici exercitationibus* praeerit d. Lun. h. X. et XI. d. Iov. h. XI. Privatim II. *Artium antiquarum historiam* exponere perget dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XI. III. *Ciceronis oratorem* interpretabitur dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. X.

ADOLPHUS DUFLOS, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Repetitorium pharmaceutico-chemicum* instituet bis per hebd. II. *Chemiae analyticae elementa* docebit bis per hebd. Privatim III. *Chemiam pharmaceuticam* docebit sexies per hebd. h. VII. mat. IV. *Pharmacognosiam* tradet bis per hebd. h. IX.

AUGUSTUS KAHLERT, Dr. P. P. E. per hiemem lectiones non habebit.

AUGUSTUS SCHMOELDERS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Scriptores Arabicos intellectu difficiliores* explicare perget d. Mart. et Ven. h. XI. II. *Institutiones Sanscritas* continuabit d. Merc. et Sat. h. XI. III. *Linguae Persicae elementa* docebit d. Lun. et Iov. h. XI. Privatim IV. *Grammaticam linguae Hebraeae ex schedis suis tradet adiunctis interpretandi exercitationibus* quater per hebd. h. def.

HENRICUS RUECKERT, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Encyclopaediam et methodologiam antiquitatum Germanicarum* tradet d. Lun. et Iov. h. III. Privatim II. *Carmina Waltharii dicti de Vogelweide* interpretabitur d. Mart. et Ven. h. III. Privatissime III. *Biblia sacra gothica* interpretabitur h. def.

RUDOLPHUS WESTPHAL, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Exercitationes philologicas* moderari perget. Privatim II. *Homeri Iliadem* interpretabitur quater per hebd. III. *Mythologiam veterum populorum* tradet quater per hebd.

HENRICUS EDUARDUS SCHROETER, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Theoriam integralium definitorum* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Geometriam analyticam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

EDUARDUS MAGNUS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Grammaticam linguae Arabicae* explicabit ter per hebd. h. XII. II. *Grammaticam linguae Aethiopicae* docebit ter per hebd. h. def. III. *More Nebochim vel alium aliquem librum Rabbinicum Arabico sermone conscriptum* illustrare perget semel per hebd. h. def. Privatim IV. *Grammaticam linguae Hebraicae* tractabit quinquies per hebd. h. III.

FERDINANDUS IULIUS COHN, Dr. P. P. E. des. Gratis I. *De geographia plantarum* disseret semel per hebd. Privatim II. *Repetitorium universae botanices* instituet dieb. Lun. et Iov. h. XII. III. *Evolutionem plantarum* docebit *adiunctis exercitationibus practicis in usu microscopi* dieb. Mart. et Merc. h. VI. vesp. et die Sat. h. X. et XI.

GUSTAVUS GUILELMUS KOERBER, Dr. Privatim *Lichenologiam* docebit ter per hebd. h. def.

PAULUS EDUARDUS CAUER, Dr. Gratis *de fontibus historiae graecae* disseret d. Merc. h. III.

CAROLUS LEONARDUS HENRICUS SCHWARZ, Dr. Publice I. *Hyalurgiam* tradet semel per hebd. Privatim II. *Technologiam corporum anorganicorum cum excursionibus technicis* docebit quater per hebd. h. def.

GUSTAVUS FRIDERICUS GUILELMUS SUCKOW, Dr. Gratis *Platonis Protagoram* interpretabitur d. Ven. et Sat. h. XII.

EDUARDUS MAXIMILIANUS ROBERTUS GROEGER, Dr. per hiemem lectiones non habebit.

CAROLUS IULIUS BERGIUS, Dr. Privatim *Oeconomiam politicam* docebit dieb. Lun. Merc. Iov. Sat. h. XI.

IMMANUEL OGINSKI, Dr. Gratis I. *Initia in philosophiam* aperiet d. Iov. et Ven. h. III. II. *De Schillero ut philosopho* disputabit d. Sat. h. III. Privatim III. *Ethicen* instituet dieb. Lun. Mart. Merc. h. III. IV. *Psychologiam pragmaticam sive de anima doctrinam vitae accommodandam* tradet dieb. Iov. Ven. Sat. h. IX.

IACOBUS BERNAYS, Dr. Gratis *Lucretii librum quintum* enarrabit d. Merc. h. VI.

FRIDERICUS HERMANNUS BERTHOLDUS RUMPELT, Dr. Gratis *Grammaticam Gothicam* tradet atque *Ulfilam* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. VI.

ARMINIUS MARBACH, Dr. Gratis I. *De calore* disseret bis per hebd. Privatim II. *Physicen* docebit et *experimentis* illustrabit quotidie h. XII. III. *Opticen* exponet quater per hebd.

FRIDERICUS GUILELMUS PFEIFFER, Dr. Privatissime et gratis I. *Exercitationes Germanicas* offert. Gratis II. *Grammaticam Gothicam* docebit et *Ulfilam* interpretabitur d. Lun. et Merc. h. III. III. *Scholas Islandicas* habebit duce libro suo (*Altnordisches Lesebuch*. Leipzig 1859.) dieb. Lun. Merc. Sat. h. IV. IV. *Historiam poësis Germanorum scenicae* enarrabit d. Mart. et Ven. h. V. V. *Historiam universitatum litterariarum in Germania* tradet d. Sat. h. V.

RICHARDUS COLMARUS GRUENHAGEN, Dr. Gratis I. *Historiam belli septennis* docebit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Historiam Vratislaviae urbis* enarrabit dieb. Merc. et Sat. h. IV.

MAXIMILIANUS THEODORUS KAROW, Dr. Gratis I. *Praefatus de Macchiavelli vita, ingenio, scriptis librum „Il principe" inscriptum* interpretabitur, *adumbratione grammatices Italicae* praemissa ter per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam linguarum Romanensium inter se comparatarum et mortuarum et earum quibus etiamnunc utuntur*, doce-

bit ter per hebd. h. def. III. *Historiam fabularum ac fabellarum et fictarum et historiam aemulantium apud gentes recentioris aevi* enarrabit ter per hebd. h. def.

CAROLUS SCHERNER, Dr. Gratis I. *De magnetismi animalis scil. somnambulismi phaenomenis, ad animam pertinentibus* disseret d. Sat. h. II. Privatim II. *Psychologiam scil. principii spiritalis in homine, eiusque cum corpore coniuncti descriptionem cum generalem tum maxime specialiorem* tradet d. Lun. Mart. Iov. h. II.

LOTHARIUS MEYER, Dr. Privatim I. *Voluminis metiendi methodos experimentis illustratas* tradet d. Mart. et Ven. h. III. Privatissime II. *Exercitationes practicas ad diagnosin physiologicam et pathologicam pertinentes in laboratorio chemico* moderabitur d. Merc. ab h. II. usque ad h. V.

EXPEDITUS BAUMGART, Dr. Gratis I. *Legum artis harmonicae partem priorem* docebit. II. *Artem organo canendi* docebit.

CAROLUS REINECKE Gratis *Historiam cantus evangelicorum ecclesiastici* docebit horis def.

LECTORES LINGUARUM.

CHRISTOPHILUS HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Libros Samuelis grammatice* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam Hebraicam adiectis exercitationibus practicis* docebit ter per hebd. h. def.

AUGUSTUS THEODORUS PEUCKER, Dr. Gratis *Grammaticam linguae graecae vulgaris* docebit d. Merc. et Sat. h. III.

ARMINIUS EDMUNDUS OTTOMARUS BEHNSCH, Dr. Gratis I. *Tragoediam Marlowii, quae „vita et mors Fausti doctoris" inscribitur*, explicabit d. Mart. et Ven. h. IV. Privatim II. *Elementa grammatica linguae Anglicae* tradet d. Mart. et Ven. h. III.

ALEXANDER MAROCHETTI, Lect. Gratis I. *De iis, qui nomine scholae romanticae significari solent, poëtis Italicis* disseret bis per hebd. Privatim II. *Commilitones exercitatiores in explicandis locis difficilioribus scriptorum Italicorum* exercebit d. Iov. et Sat. h. II. Privatissime III. *Grammaticam linguae Italicae* docebit d. Merc. et Ven. h. II.

IOANNES NICOLAUS FRITZ, Lect. Gratis I. *Linguae Polonicae grammaticam* docebit *atque exercitationes voce et litteris vertendi* instituet *duce libello suo, in quo linguae Polonicae elementa traduntur* bis per hebd. II. *Cum exercitatioribus commilitonibus librum aliquem Polonicum* leget et interpretabitur semel per hebd. h. def.

CAROLUS FRANCISCUS LUDOVICUS DAN. FREYMOND, Lect. Gratis I. *Capita selecta libri, qui inscriptus est: Récits des temps mérovingiens, par Augustin Thierry,*

leget et explicabit; adiicietque *disputationem de recentioris aetatis historicis*, bis per hebd. h. def. Privatim II. *Syntaxin franco-gallici sermonis* explicabit et *exercitationes ad eam pertinentes* instituet bis per hebd. h. def. Privatissime III. *De illo carminum, quae gallice „Chansons" vocantur, genere, et de metri, quo ea composita sint, ratione* disputabit bis per hebd. h. def.

VINCENTIUS KRAIŃSKI, Dr. Lector hon. Gratis I. *Linguam Polonicam triplici discentium ordine instituto* docebit sexies per hebd. II. *Litterarum Polonicarum historiam* enarrabit quater per hebd. III. *Eloquentiam sacram Polonicam* tractabit bis per hebd.

Artem vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Siegert*, artem equitandi *Preusse*, batuendi *Loebeling*, saltandi *de Kronhelm*.

Bibliothecae Academicae lecturis apertae patebunt diebus Lun. Merc. Iov. Sat. hor. II. et III., libros petituris et reddituris dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. XI. Leges indicat scheda in coenaculo studiis dicato proposita. Bibliotheca Studiosorum propria cum Museo patebit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. II—V. Ex reliquis tribus urbis bibliothecis Rehdigerana cum Burgiana ad aedem S. Elisabethae consociata patebit dieb. Merc. et Sat. ab hora II. ad IV.; ea autem, quae est ad aedem S. Bernardi, singulis diebus Iovis eisdem horis; de tertia, quae ad aedem S. Mariae Magdalenae servatur, conveniendus singulis diebus Saturni ab hora X. ad XII. bibliothecarius est, qui est gymnasii M. Magdalenensis rector.

Collectiones rerum et instrumentorum ad physicam, astronomiam, anatomen, physiologiam, zoologiam pertinentium, laboratorium chemicum, artis et antiquitatum Museum et pinacotheca inspiciendi venia suo loco et tempore impetrata monstrabuntur. Hortus botanicus, diebus Veneris omnibus apertus, commilitonibus etiam reliquis diebus praeter dominicos patebit; aliis rei herbariae studiosis, qui per hiemem plantarum hibernacula in hortis posita adire cupiverint, certis horis eius rei ab hortorum directore potestas fiet.

[illegible]